

Vetulae nutricis mores („garçilitatem anus indoctae, quod in primis commendat auctorem, quam personarum ἡθος docte et εὐστόχως exprimat“ Stanl. ad v. 733) pulcherrime describi omnes facile consentiunt, nisi quod sunt, qui poetam reprehendendum existiment, quod ea quae de Orestis infantia memorantur, cothurni dignitati parum convenient, v. 714 sqq.

*Oὐ γάρ τι φωνεῖ παῖς ἔτ' ὃν ἐν σπαργάνοις,  
Ἡ λιμὸς, ἥ δίψ, ἥ τις εἰ λιψονδία  
Ἐγει· νέα δὲ νηδὺς αὐταρχής τέκνων.*

Quibus versibus festivissimis nullo modo carere velimus. Ceterum ut scena illa festivitate ipsa sua satis excusatur, ita laudem meretur, si universam fabulae rationem respexeris. Nihil enim fere nisi quae horrorem incutiant, omnia caedium, scelerum, vindictae, Furiarum plena, atrum quasi velum fabulae obductum vides. A quibus avocari paullisper animum poeta, opinor, necessarium judicavit. Observandum autem, ubi illas nutricis facetias posuerit. Interpositae enim sunt eo loco, quo omnium animi certamine proxime imminentे quam maxime intenduntur. Unde apparet, poetam non latuisse magnam vim, quae ad percellendos animos in eo sita est, ut quo magis moveas audientes, res plane contrariae atque inter se pugnantes jungantur eademque opponantur. Simile est, quod in Shakspearii tragedia, quae Macbethi titulum prae se fert, caede regis perpetrata ubi omnia horroris plena et novus horror manifestandae caedis animis praecipitur, festivissima janitoris oratio interponitur, qua regni inferni ostiarii partes se agere simulat. — Locum Aeschyleum imitatus est Sophocles in Niobe<sup>6)</sup>. Plut. Q. Symp. VI. 6. ὥσπερ ἡ τραγικὴ τροφὸς ἐκείνη τὰ τῆς Νιόβης τέκνα τιθηρεῖται.

6) Cfr. Welcker, ephemerid. Zimmerm. 1837 p. 109 sqq. — Hermannus opusc. III p. 39 Nioben satyricam fuisse existimat.